



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Instrvctio R.P. Ignatii Balsamonis Societatis Iesu,
Theologi. De Perfectione Religiosa, Et De Vera Recte
Orandi & meditandi methodo**

Balsamo, Ignazio

Coloniæ Agrippinæ, 1612

Meditat. I. de votis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48888](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48888)

PRIMA.

Diuersæ possunt de votis meditationes institui.

Primum, vota simul omnia poterunt in vnam meditationem compingi, ita vt singula vota, singula cōstituant puncta, quod variè quoque fieri potest.

1. Vel enim possumus considerare pro primo puncto, quanta sit excellentia paupertatis, quam magna illius necessitas, quam ingens Religioso eam seruandi incumbat obligatio, quam insignes denique illi pariat utilitates. Pro secundo puncto eadem expendi poterunt de castitate. Pro tertio, de obedientia.

2. Vel possumus de tribus hisce virtutibus, specialem primò meditationem instituere in persona Iesu Christi Domini & magistri nostri: reuoluendo videlicet, quam ille pauper, castus, & obediens omni tēpore fuerit. Deinde specialem quoque

que meditationem in persona Beatis. Virginis. Posthæc aliam similiter in persona primi institutoris Ordinis nostri.

3. Vel denique possumus tres hæc personas in vna simul meditatione coniungere & considerare:

1. Quam Christus Dominus noster, castus, pauper & obediens in omni vita fuerit.

2. Quam in iisdem virtutibus beatis. virgo Maria excelluerit.

3. Quam eadem virtutes in religionis nostræ primo institutore conspicuæ extiterint.

SECUNDA.

SECUNDÒ poterunt vota singula per se in meditationem assumi, & vna vel plures meditationes primùm de paupertate, tum de castitate, demum de obedientia formari. Possunt autem in singulis hæc potissimum considerari.

1. Quid exempli gratia, sit paupertas, & in quo consistat esse pauperẽ.

D §

2. Quam